DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. DECEMBRIS,

M. HERMANO DE LAVNAY Doctore Medico, Moderatore.

934

An à frequentiore partu Senectus præceps?

SENECTVS ξηρὰ ἡ ψυχρὰ κρᾶσις τοῦ σώματος ἐκ πολυετίας γινομένη, ætas est exsucca, sterilis, morborum ferax, mortis prænuntia, animæ functionum carcer & vinculum, nec malè sentit quisquis illam morbum aut marasmum per varios ætatis gradus erumpentem appellauit. In hanc sensim nos deducit insita primorum corporum discordia, & caloris in humidum perennis ἐνέργεια, eiusdémque ἀδυναμία. Ita qui viuendi primus auctor extitit, idem ille moriendi necessitatem imposuit. Hoc ineluctabile fatum nusquam potest naturâ, aut arte Medeæ vel medicâ, sed Dei solius operâ reuocari. Apage ἀθανασίαν aut ἀγηρασίαν meras Sophistæ veteris ineptias. Vis Senectutis vt & mortis omninò par & æqualis. Hominem non è Deucalionis ortum lapidibus, sed è semine & sanguine genitum humidis fluxísque primordiis, triplicis ideò τῆς οὐσίας ῥύσιν ferre necessum est, quæ licet geniali & benigno alimentorum succo foueatur & quasi sarciatur, nec talis tamen ac tanta reponitur, qualis & quanta effluxerat: adeò fit, vt corpus tabe confectum & marcescens ac minutum, quasi pressum nimis & angustum ineptúmque tandem fiat excipiendæ & seruandæ animæ domicilium.

CANITIEM Pituitæ sobolem, & parentem vtriusque senectutem accelerant, quæcumque radicalis humidi pinguis, oleosi, ac tenacis, & simul & vnà copiam natiui caloris minuunt ac dissipant, qualis ἀσιτία biliosis infestissima, necnon etiam ὀλιγοσιτία, vigiliæ iuges ac perennes, curæ graues ac mœrores πολλῷ χρόνον διατελοῦντες, vt & crebræ profundæque cogitationes, mente præsertim reluctante conceptæ, ambientis nos aëris καῦμα diuturnum, πόνοι ὀξέες τέχνῃ πολλοί, vini meracioris potus assiduus, & calidorum acriúmque ciborum vsus immodicus, morbus acutus & chronicus, frequens & copiosa vacuatio. Vel quæcumque humoris illius primigenij puritatem inquinant atque inficiunt, vt quæuis corrupta & pútris expiratio, & praua malique succi edulia. Vel refrigerando densant, extingunt, & congelant, vt vita deses atque otiosa, & nimia eáque assidua frigoris externi vis. Calidarum regionum incolæ μακροβιώτεροι, frigidarum, palustrium contrà. Qui in editis patentibus & liberis, quàm qui in locis degunt humilibus aut conclusis, graciles obesis, mares fœmellis vitæ longioris.

HVIC senescendi vt & moriendi necessitati generatione & frequentiore partu natura consuluit. Omnibus nimirùm perfectis animantibus, quodam ipsius quasi miraculo, vim tribuit, cuius ope atque subsidio in hominis demortui locum & ordinem alter veluti substitutus, & perenni sobole succedens, ac veluti succenturiatus compensat cuiuslibet indiuidui vitæ breuitatem. Ad fœtus conceptionem & γένεσιν concurrunt semen parentis vtriusque & maternus sanguis. Perfectus maturusque fœtus, in alijs quidem animantibus stato plerúmque tempore, in homine vt diuerso perficitur, sic incerto & vario excluditur; aliquandò mense septimo, aliàs octauo, sæpè nono & decimo, rariùs vndecimo. Qui septimo mense prodit, vt spatio breuissimo nec ad veram τελείωσιν requisito, vitalis quidem esse solet, imbellis tamen & languidus, & vix aëris insolentiam atque iniurias ferre potens, qualis etiam octimestris, qui motum insultúmque duplicem, septimo nimirùm octauóque mense succedentem, cúmque laboriosum & grauem, nondùm refectis viribus, tolerare minùs capax, vix ac ne vix quidem vitalis esse solet; qui nono vel decimo mense nascitur, vt qui completum iam ac debitum totius corporis habitum & molem, ac legitimum cuiusque partis tonum & robur obtinet, suis omnibus numeris absolutus prodit in lucem auspicatò. Nonne quæ longiori tempore vtero geruntur animalia fortiora sunt, & magis longæua?

NATVRA propagandi generis ergò, stimulo libidinosæ veneris ardentiùs exæstuans, dùm crebriùs præcipuo ipsius indulget operi, indiuiduum deterit, & sinistris rebus maternis fœtum parentis vtriusque reliquias, ex ipsorum semine suscitat & procreat. Vteri tepore atque ingenitâ facultate excitata vis formatrix tantæ molis opus aggreditur; & ex idoneâ ac sequaci materiâ, prima fœtus rudimenta & velut stamina delineat; mox illabente sanguine implet inania ipsorum spatia; hæc & illa conueniente pabulo ceu commeatu in dies per vteri venas roris instar affluente reficit & recreat. Istam, quæ toto gestationis tempore sufficere debet, materiam matris hepar suppeditat, & quæ in partium corporis muliebris erat cessura nutricatum, partim dispensante naturâ, partim fœtu potenter attrahente auertitur & aliò deriuatur: hinc illæ proprio & viuifico nectare, tanquam genio defraudatæ contabescunt. Quid quod fœtus vtero, vt radix terræ, insidens, è sanguine τὸ γλυκύτατον καὶ τὸ λεπτὸν exsugit, residuum despicit alendæ matri destinatum, fæculentum ipsum & impurum?

VIRILE semen & muliebre non dilutum & serosum, sed crassum, ἀφρῶδες, probè coctum, in vteri temperati capacitatem iniectum tractúmue, si laudabilem quoque κρᾶσιν obtineat; aut si tùm vterus ipse, tùm semen vtrumque ad quamdam inuicem contrariam intemperiem modicè deflexerint, conceptionis frequentioris causæ sunt, & præproperæ senectutis mulieris. Cùm enim fœtum suo sinu tàm longâ nouimestris vel decimestris spatij morâ coërcere debeat vterus, & eumdem postliminiò graui nixu, nec dolore leuiore forâs extrudere, longiore tempore, quo reficiatur, & excrementis totâ gestatione congestis, expurgetur, opus habet. Hoc si minùs fiat, sed protinus ac sæpiùs ipsum fractis miniméque refectis è tanto conatu viribus, necdum quoque probè repurgatum impleri contigerit, noxam creat & sibi & reliquo corpori vt plurimum ἀνίατον, nec mirêris ideò si paucis naturæ concessis inducijs, succedant sæpè sæpiùs vterinus furor atque fluor, τῆς μήτρας περίσπασις, eiusdemque distortio, & ἀπροαίρετος οὔρησις, ac lumborum dolor, ἀνορεξία, pica, fœdus faciei color, corporis insolitus torpor atque segnities, lipothymiæ & syncopæ frequentes, οὐλομελίης squalor & macies, ac tandem concussis & labantibus totius corporis fundamentis, immaturè, & antè diem subeant morbi tristisque senectus.

Ergò à frequentiore partu senectus præceps.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BLANCHET, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

D. DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Richard.	*M. Petrus Yuelin. Med. Reg.*	*M. Franciscus Guenault.*
M. Petrus le Mercier.	*M. Mathurinus Denyau.*	*M. Ioannes Merlet. Decanus.*
M. Claudius Guerin.	*M. Franciscus le Vignon.*	*M. Gabriel Harduynus de S. Iacques.*